

gnitione causarum civilium, sub quarum genere, iuxta communem usum loquendi, veniunt tam temporales quam spirituales, quæ non sint criminales, ut in iudiciorum sede aduertitur; **M** Isteque est 18 etiam, Prælati Signaturæ, & quandoque etiam in ordine Episcopali constitutus; Et alterum pro cognitione causarum criminalium, qui solet esse rogatus, istique *Locumtenentes* dicuntur; Et alterum Vicarium, pro regimine Monasteriorum monialium, qui *Deputatus* dicitur.

Id autem, non solum in Vrbe, sed etiam in alijs amplis diocæsi-bus practicari solet, ut præsertim docet praxis Archiepiscopatus Mediolanensis, quod scilicet ad sunt isti Vicarij particulares, civilis, criminalis, & monialium, ac etiam Vicarius generalis, qui cognoscit de omnibus, de quibus isti particulares cognoscere possunt.

Necnon, more aliarum Curiarum Episcopali-um, habet Cancellarium, cui secretarij nomen tribuitur, ad differentiã 20 Notariorum actantium; Ac etiam Barisellum, cum sua familia armata; Non tamen habet particularem promotorem fiscalem, eo quia, Aduocatus, & Procurator Fiscales generales Papæ, ac etiam Aduocatus, & Procurator generales pauperum, in isto quoque Tribunali, has partes gerunt; Ideoque interueniunt in Congregatione, quam in qualibet hebdomada, pro consueto usu, in die Lunæ, 21 Vicarius coram se ipso, in eius palatio, cum interuentu dictorum officialium, habere solet, pro discussione causarum grauiorum, aliorumque grauium negotiorum, in qua Partes, earumque Aduocati, & Procuratores audiuntur; Et quæ stylum, quoque tenent plures Episcopi, & Archiepiscopi, & præsertim Archiepiscopus Neapolitanus.

Stylus huius Tribunalis videtur esse vniformis cum illo Auditoris Cameræ procedendi per monitorium, & conficiendi alia acta; Aliqua verò styli differentia dignosci videtur, circa admissionem clericorum ad beneficium capitul. Odoardus, quod scilicet, quando de hoc agitur coram A. C., proceditur cum aliquo maiori rigore, ratione obligationis

cameralis, vel ob aliam circumstantiam; In hoc autem Tribunali Vicarij facilius, illud admitti solet **N**; cum aliquibus alijs diversitatibus leuibus tamen, quas nimia digressio esset minutatim resumsere.

Habetur etiam in hoc Tribunali idem 23 pro meo sensu parum commendabilis stylus participationis pœnarum, ac propinarum, insinuatus, *disc. præced.*

Inualuerat etiam quædam consuetudo, quod Vicarius conferebat exteris in Vrbe morantibus tôsuram, aliosque ordines etiam sine literis dimissorialibus proprij Ordinarij; Verùm ab aliquo tempore, ob pleraque inconuenientia, quæ exinde resultare praxis docuit; Vel id est prohibitum; Vel nimium parce, ac circumspèctè proceditur.

*N. de hoc sub tit. de credito disc. 119. & seq. & tit. de iudic. disc. 118. & seqq.*



De Sacra Congregatione, ac de Tribunali vniuersalis inquisitionis, vel Sancti Officij.

S V M M A R I V M

- 1 **D**E antiqua, & continua heresum vexatione, quam Ecclesiæ passus est & de ratione ob quam Deus id permisit, ac permittat.
- 2 De introductione huius Tribunalis, ac nominis Inquisitionis.
- 3 Quis fuerit primus Inquisitor.
- 4 De antiquis officialibus Inquisitionis.
- 5 Episcopi sunt Inquisitores cumulatiue cum



- cum Inquisitoribus localibus.*
- 6 *De erectione huius Congregationis.*
  - 7 *Ex quibus dicta Congregatio constat.*
  - 8 *De commissario Sancti officij, & Assessore, alijsque officialibus.*
  - 9 *De Consultoribus.*
  - 10 & 11 *De prima Congregatione preparatoria, & de secunda Cardinalium, & tertia coram Papa, & quid in eis agatur.*
  - 12 *Ista Congregatio cognoscit quoque de librorum prohibitione.*
  - 13 *De alijs causis indifferentibus quas ista Congregatio cognoscit.*
  - 14 *Quod Advocati non soleant se ingerere in negotijs huius Congregationis.*
  - 15 *De eiusdem Congregationis stylo.*

## DISC. XIV.

**I**D ipsomet Apostolos ac primos Discipulos instituendos suamque Ecclesiam imposterum, omni tempore informandam, Christus Dominus, antequam ad celos ascenderet, id prædixit, quod omni penè ævo, Ecclesia Catholica experta est, ut scilicet oporteret hæreses esse, dum istæ in ipsomet initio, Apostolis, ac primis Discipulis adhuc viventibus, iam irrepserunt; Undè propterea, Petri primi Pontificis, ac Vicarij Christi auctoritate, ex tunc Concilia, pro fidei quæstionibus decidendis, ac hæresi extirpanda, celebrata fuerunt; Quodque summam quidem admirationem præbet, illud esse dignoscitur, quod apud ecclesiasticarum historiarum, ac annalium probatos scriptores cernitur, quàm frequentes scilicet, ac variæ fuerint hæreses, in illis primis sæculis, in quibus sub gentilium diris persecutionibus, in summa paupertate, ac depressione, sub continuis tormentis ac patibulis, viuebatur; Id autem, idem Dominus misteriosè permittit, ad obturandum scetida ora obloquentium contra Romanam curiam, Romanosque Pontifices, quod scilicet eiusdem Curia vitia, depravatiq; mores, hæreses foueant vel eis causam præbuerint, dum tunc, ista somniata radice omnino cessante, illæ maiores, magisque frequentes erant, præsertim in Africa, & in Asia, atque in orientalibus partibus nostræ Europæ, in qui-

bus maior hæresum origo, ac sedes fuit, ut Concilia, & ecclesiasticæ chronicae docent; Et tamen tunc Romanus Pontifex, in antris, & speluncis, sub persecutionibus, Romæ delitescens, eius vniuersalem supremam potestatem habitualem, cum aliquibus literis monitorijs, vel decisorijs, aut consolatorijs, vix exercebat; Et postquam Deo placuit, post baptismum Constantini, Ecclesiæ tranquillitatem concedere, atque eidem per vniuersum orbem ita dilatare, cum gentilitatis, ac idololatricæ extirpatione; Adhuc tamen, in dictis orientalibus partibus, iam exorta hæresis Arriana, sub ipsomet Constantino, atque in successiuis proximis temporibus, adeò dilatata fuit, ut nonnullos habeamus Sanctos Patres ingemiscens, quod totus mundus Arrianus effectus esset; Adeò ut Ecclesia Catholica, maiora fortè passa sit damna, & præiudicia, ab hæreticis, quàm à gentilibus; Idèdque manifestæ ignorantia, vel malignitatis, ac nequitia effectus est assertio, ut aliquæ hæreses, modernis temporibus exorta, seu veriùs antiquarum sub quadam diuersa superficie excitatiua, ac innouatiua, Romanæ Curia moribus, vel asperitatibus referri debeant, cum iste videatur effectus humanæ fragilitatis; A dinstar illius corruptionis, quæ singulis penè sæculis, terra, vel aer, pro regionum diuersa qualitate, quasi per circulum, pati solet; Sive ex Dei iudicij, quæ nobis occulta sunt.

Ad hæreses igitur, iam natas extirpandas, siue ad occurrendum, nè aliæ orirentur, curatiua, & præseruatiua remedia adhibendo; Romanus Pontifex, Ecclesiæ Catholicæ caput, & Episcopus, omni tempore, per se ipsum, eiusque ministros, diligenter inuigilare consuevit, varios adhibendo modos, prout temporum, vel contingentiarum ratio exigeret; In ijs autem modernioribus temporibus, quorum certiolem memoriam, seu traditionem habemus; Cum in duodecimo sæculo, in nostrarum occidentaliu partium aliquibus regionibus, ac etiam in ipsamet Italia, quæ est catholica Ecclesiæ sedes, præsertim verò in ea istius Prouinciæ regione, quæ montibus magis proxima, apud antiquiores, sub diuersis Galliarum vocabulis appellabatur, nunc autem, Lombardiæ, & Pedemontis nomen sortitur, hæresis laes irrepsisset;

set; Hinc Sedes Apostolica, inter plures ministros, huiusque mali medicos spirituales, quorum cura esset, de dicta hæresi infectos, vel de infectione periclitantes, inquirere, ut iam infirmos curarent, periclitantes autem præseruarent, adeò zelantem, ac proficuum operarium adhibuit, S. P. Dominicum, Ordinis Prædicatorum fundatorem, cui primò Inquisitoris nomen, seu titulum attributum esse, scriptum habemus, dum antiquiori tempore, alij idem munus exercentes, diuersam fortè nuucupationem habebant; Atque ita, post dictum Sanctum, alijs eius alumnis, dictique sui Ordinis professoribus, idem munus committere, Sedes Apostolica consuevit, inter quos, immediatus, vel mediatus successor fuit Petrus Veronensis, qui ab hæreticis pro fide catholica occisus, Sanctorum Martyrum cathalogo, meritò per Ecclesiam adscriptus fuit; Atque ita isto Inquisitionis seu Inquisitoris nomine, vbique dilatato, in Curia, Inquisitionis Tribunal, per ipsummet Pontificem, cum ijs ministris, & adiutoribus, quos, iuxta oportunitates assumere, in tempora, videbatur, regebatur; Et præsertim, cum opera, & consilio aliquorum eiusdem Ordinis alumnorum, quorum vnum sub nomine Magistri Sacri Palatii tanquam consiliarium & assessorem habere consuevit, ut superius aduertitur A; Ac etiam alium sub nomine Commissarij huius inquisitionis; Deindeque vnum ex Cardinalibus, pro eius maiori adiutorio desuper præfecit, cui propterea, Præfecti Inquisitionis nomen, seu vocabulum tribuebatur; Singularum verò dioecesium, vel prouinciarum inquisitionis ministris inferioribus, ac subordinatis idem Inquisitoris nomen dari capit, qui cumulatim cum Episcopis (qui semper fuerunt, ac sunt suarum dioecesium natiui Inquisitores, & Catholicæ fidei defensores, & conseruatores) idem munus exercent.

Cum autem, circa initia decimiquinti sæculi, Lutherana hæresis, antiquioris Hussitanæ, (aliqua mutata superficie) innouatiua, in Germania exorta, & dila-

tata, aliquas Italiæ partes, quoque inficere cepisset; Hinc Pontifex Paulus III., istam Sacram vniuersalis Inquisitionis Congregationem erexit, pro dicti Tribunalis S. Officij, vel Inquisitionis regimine, ac meliori, magisque auctoritatiua directione B; Alijque successores Pontifices eam approbarunt, ac facultates respectiue auxerunt. C

Constat itaque ista Congregatio, ex aliquo considerabili numero Cardinalium, quos in literis, ac experientia, fideique zelo, magis aptos, Papa iudicet, in maiori, vel minori numero, pro eiusdem Papæ placito; Hisque adiuncti sunt, plures Prælati, ac Religiosi, ac etiam, quandoque clerici sæculares, qui Canonum, & Conciliorum, ac Sacræ Theologiæ peritissimi, Consultores appellantur, vitra ordinarios officiales, qui hoc Tribunal regunt, & administrant, in actuali iurisdictionis exercitio, ac processuum formatione, reorumque examine, urbano, vel rigoroso, quorum vnus qui iudicis ordinarij partes gerit, est ille, qui Commissarius Sancti Officij dicitur, eiusdem Ordinis S. Domini professor, ex dicta Prouincia Lombardia; Isque in consiliarium, seu Assessorem habet vnū dogmaticum & Canonum professorem Prælatum, vel clericum sæcularem, qui Assessor dicitur, aliosque inferiores officiales & ministros, ut sunt Fiscalis, Notarius locius, & alij; Atque inter præfatos Consultores regulares qui ex diuersis religionibus, assumi solent pro Papæ libito, fixum locum occupant, alij duo eiusdem Ordinis professores, nempe magister generalis eiusdem Ordinis, & Magister S. Palatii; Ac etiam alter professor ordinis Minorum Conuentualium, cui tanquam fixo & inuariabili, congruit singulariter nuncupatio Consultoris S. Officij, habens hoc munus magis peculiariter, illudque præ cæteris Consultoribus exercet.

Ut autem tantæ importantiæ negotia, cum ea qua decet maturitate, coram ipso Summo Pontifice, in cuiuslibet hebdomadæ statuta die examinentur, ac decidantur, duæ præparatoriæ Congregationes præcedere solent; Siquidem in-

qua-

A. supra disc. 8.

B. Const. 34. Paul. III.

C. Const. 74. Sixti V. Congregatione prima, ubi aliæ constitutiones recensentur.



qualibet feria secunda, in eiusdem Tribunalis loco seu palatio (quod sancti officij dicitur) propè Basilicam Vaticanam, in quo continuam habent residentiam præfati, Commissarius, Assessor, Fiscalis, Notarius, & alij inferiores ministri; Ac etiam Diuinæ maiestatis rei, carcerati detinentur; Congregantur omnes præfati, Consultores, Prælati, & Religiosi, coram quibus processus, leguntur ac etiã Episcoporum, ac localium Inquisitorum literæ, vel relationes, aliaque examinantur negotia pro maiori instructione Assessoris, qui ea relaturus est in alia Congregatione, in qua interueniunt Cardinales; Ista verò sequitur qualibet die Mercurij de mane in Conuentu eiusdem Ordinis S. Domini prope Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam, in aulis ad id destinatis, immutata quandoque die, vel hora, ob festorum impedimenta, vel alia accidentia, ita tamen, vt Congregatio nunquam intermittatur.

Congregatis itaque Cardinalibus, solus Assessor, stando, tanquam minister, negotia currentia refert, processus etiã ac literas, vel relationes, de verbo ad verbum legendo; Et postquam inter ipsos Cardinales, eis beneuola discussio, sequuta sit, in ea admittuntur dicti Consultores, qui interim assistunt, ac expectant, in aula exteriori, eorumque consilium seu vorum expetitur, atq; ita determinantur negotia, quæ iam maturè examinata, & discussa, Sanctissimo proponi debere videantur; Istaque Congregatione expleta, in die Iouis immediatè sequenti, pariter de mane (quoties accidentalia impedimenta horæ mutationem non exigant) alia habetur eorundem Cardinalium Congregatio coram ipso Papa, cui compendiosè, vt decet, referuntur ea quæ in externæ diei Cardinalitia Congregatione discussa fuerunt, ipsius etiam Congregationis votum referendo, vt ipsius Papæ oracula recipiantur; Atque in ista etiam Congregatione, post huiusmodi relationem, quandoq; pro negotiorum qualitate, admitti solent præfati Consultores qui pa-

riter interim in proxima exteriori aula assistunt; Atq; ex his resolutionibus prodeunt commissiones, quæ localibus Inquisitoribus, vel respectiue Episcopis dantur, super his negotijs Fidei.

Ista Congregatio, ac respectiue huius Tribunalis Commissarius, cum Magistrate S. Palatii, & cum Congregatione Indicis, super lectura librorum prohibitorum; Eademque Congregatio, ac respectiue Tribunal, eiusque Ordinarij Iudices, & officiales, vt supra, ultra causas Fidei quarum cognitio suprema ad hoc tribunal vbique pertinet, cognitionem quoque habent omnium aliarum causarum indifferentium, ciuilium, criminalium, & mixtarum, tam spiritualium, quam prophanarum, omnium officialium & ministrorum localium sancti officij, necnon conductorum vel administrantium bona, & iura, quæ pro huius tribunalis peculio assignata fuerunt, vt ex fructibus, eius fixi officiales, & ministri, ac etiam carcerati, sustentari possint, aliaque parari expensæ necessariæ; Ac etiam super solutione illarum ecclesiasticarum pensionum, quæ pro sustentatione Inquisitorum localium super aliquibus Cathedralibus, vel Metropolitanis Ecclesijs per Apostolicam Sedem reseruatae fuerunt, vt in plerisque materijs aduertitur super quæstionibus, quas forèsi more in eadem Congregatione disputare mihi occasio dedit. D

De huius autem Congregationis vel respectiue Tribunalis stylis in causarum cognitione, ac processuum efformatione ipsorumque reorum læsæ Diuinæ maiestatis punitione & abiuratione, vel rigoro examine, meum non est agere, cum pro Curia stylo in Aduocatorum, aliorumque Curialium rubrica insinuato, nunquam hæc negotia tractauerim.

Illud autem certum ac indubitatum est (quidquid ignarum vulgus indebitè, & absque fundamento opinetur), quod stylus, est nimum placidus, ac benignus, omnique maiori charitate, & circumspèctione plenus, adeo vt non nisi magna

vr-

D. de his habetur tit. de seruitut. disc. 24. titul. de locat. disc. 1. titul. de pension. disc. 34.

urgente necessitate, & quando comperit sit quod exactissimæ occultæ diligentia non proficiant, huiusmodi negotia publicè pandantur.

- 12 Non cognoscit causas particulares contentiosas.
- 13 Quam cognitionem habeat in causis beneficalibus unicum, & concursuum.
- 14 De visitatione liminum faciendâ per Episcopos, & de quæstionibus iurisdictionalibus.
- 15 Omnes expeditiones dantur gratis omnino.
- 16 Ex quibus constituatur, & de mercede Præsecti, & Secretarij.
- 17 De stylo, et an executionem præbeat suis resolutionibus.



## DISC. XV.

De Sacra Congregatione Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum.

## S V M M A R I V M.

- 1 De prima erectione huius S. Congregationis per Pium IV.
- 2 De ampliatione per Sixtum V.
- 3 Quod aliqui malè loquuntur, quod Congregatio se extendat ultra interpretationem.
- 4 De causa seu ratione dubiorum, quæ oriuntur super intelligentia decretorum Concilij Tridentini.
- 5 In quo propriè, ac principaliter versetur munus huius Congregationis.
- 6 Quod facultas interpretandi sit singularis, & priuatiua, non autem exequendi.
- 7 De alijs de quibus ista Congregatio agit, & præsertim super residentia.
- 8 De reductione missarum, vel susceptione noui oneris.
- 9 De restitutione in integrum aduersus lapsum quinquennij pro reclamatione aduersus professionem.
- 10 Super dispensationibus ab irregularitate, & alijs impedimentis.
- 11 De materia matrimoniali.

1 Ostquam sub Pio IV., per eius Constitutionem, Sacrum Concilium Tridentinum, absolutum, atq; confirmatum, & publicatum fuit; Idem Pontifex, ad aliquos menses, pro eiusdem Concilij executione, & obseruantia, nulla interpretationis facta mentione, Congregationem deputauit aliquorum Cardinalium, illorum præsertim, qui in ipso Concilio interuenerant, eiusque mentis, occasione discussionum habitatum in sessionibus, benè conscijerant; Vnde propterea, circa ea initia, quamuis Congregatio vt supra, super executione, & obseruantia tantum, non autem super interpretatione, deputata esset; Adhuc tamen, aliqua oriente dubietate, istæ partes inteopræand quandoq; (licet rariùs) assumebantur. A

Cum autem Sixtus V., vt celerius, quamplura vtriusque, pontificij, ac prophani principatus negotia, expedirentur, litiumque diuturni, & frequenter scandalosi anfractus tollerentur, per eius Constitutionem B quamplures Cardinalium Congregationes erexit; Inter illas, istam, ac alteram Inquisitionis, vel Sancti Officij, iam erectas, quoque descripsit, eas confirmando, atque aliquas etiam maiores facultates eis tribuendo, huic præsertim illam interpretandi idè Concilium in ijs, quæ concernunt reformationem.

- P. 2. Relat. L. matio-
- A. habetur in annot. ad Concil. Trid. lib. 14. disc. 1.
- B. Const. 74.